

debilitatum corpus eos comitari, qui semen copiose excernunt, certum est, ita non potest non haec ipsa corporis debilitatio ab impedito spermatis regressu pendere. Quanquam autem negandum non est, sensuum internorum aequa, atque externorum hebetudine eos vehementer affici, qui venereis stimulis nimium indulserint, attamen, quum alia detur huius phaenomeni explicandi ratio, illud ex spermatis resorptione impedita haud quaque explicandum putarim. Etenim quum per copiosam hanc seminis excretionem partes eidem praeparando et asseruando designatae magnopere laxentur, non potest non humorum, qui vel aliis secretionibus, vel particularum eorumdem ad solida depositione, erant impendendi, affluxus ad has partes augeri, nouaque seminis, aut potius lymphae secretio, prout in benigna gonorrhoea, peragi¹⁾. Quae cum ita sint, magna sane cum verosimilitudine nos colligere posse, opinamur, causam huius virium sensuumque decrementi, in nimia seminis, lymphaeque eidem admixtae, quae aliis usibus designata erat, effusione potius, quam resorptione spermatis non procedente, quaerendam esse.

Iam, refutatis, ut videtur, aduersariorum oppositionibus, convertamus nos ad eum resorptionis ex vesiculis modum, quem statuendum putamus, eumque argumentis quibusdam stabilire conabimur. Ac primum quidem de possibilitate eiusdem dubitandum plane non esse putamus, namque cum praeter superius laudatum BOERHAAVIUM, iam T. H. BARTHOLINVS²⁾ ingentem vasorum lymphaticorum copiam, quae his partibus immixta et circumposita sit, detexerit, non possumus, quin certissime simus persuasi, hoc iisdem esse munus, ut lympham, quae, quemadmodum ubique in nostro corpore, ita quoque in his partibus per laterales arteriarum ramos secernitur, resorbeant, chylique receptaculo immittant; et quamvis de lymphaticis vasis asserere quis posset, non nisi solidarum

1) Illustriore reddere hanc assertionem videtur lactis secretio, quippe quam copiosiore euadere tum demum animaduertimus, cum nimis ad excretionem stimulantur mammae.

2) Conf. EIVS Anatomia p. m. 211.